



№ 2037 *

II.
Jurisprud.
78. a.

00
z



Hoc Volumine continentur.

- 1) Gundling de Feudis Vexilli.
- 2) ———, de Efficientia metus.
- 3) ———, de Emptione Verborum.
- 4) ———, An nobilitet Venter.
- 5) ———, de Jure Imperii in N. Ducatum Etruriae.
- 6) ———, — de Renunciatione hereditatum filiarum illustrium.
- 7) ———, — de causa et origine unionis Electoralis.
- 8) ———, — foliis hinc inde ubi Schilteri Jus Feudale.



ERRORES PRAGMATICORVM
DE
RENVNCIATIO-
NE HEREDITATVM FI-
LIARVM ILLVSTRIVM
PRAESIDE

NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO ICT.

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE JURE HONORES CAPESSENDI
d. Novembris

DISPVTABIT
H. L. Q. C.
CHRISTIANVS DANIEL Donauer
NORDLINGENSIS.

HALAE VENED. STANNO HILLIGERIANO.
MDCCLXXXIX.

No 2042 *

ERRORES PRAGMATICORVM

DE

REINVENTIO

NE HEREDITARIAM F.

CLAVAM ILLUSTRIAM

DE

NICOLA O. HIERONYMO

AVDINGIO

PRO LICENTIA

AVTOS IN VTROQVE IURE HONORIS CAPSSENDI

DISPVATIT

IN

CHRISTIANIS DANICIS

AVDINGIO

Iure Vindictae

AVDINGIO



CONSPECTVS
DISSERTATIONIS.

CAP. I.

DE NEGATA FEMINIS SVC-
CESSIONE INPRIMIS IN GER-
MANIA.

§. I. *Femine a cernenda hereditate exclusæ semper fuerunt. Exemplum filiarum Labanis Gen. XXXI. v. 15. Iacob. Perizonii, itemque Calmeti Sententia ad hunc locum.* §. II. *Interdum extra Ordinem aliquid hereditatis filiabus obuenit. Exemplum filiarum Zelapheadi & Iobi. An apud Hebræos filie successerint?* §. III. *Causa eius rei a conseruando splendore familiarum desumitur.* §. IV. *Ordo succedendi Græcorum, cum primis Athenensium.* §. V. *Romanorum Ordo succedendi antiquus ex LLbus XII. Tab. Quid de Triboniano hac parte sentiendum?* §. VI. *Ætate Romuli promiscuum succedendi jus erat. Causa legis Voconie, eiusque verus Sensus ab aliorum Interpretatione vindicatur.* §. VII. *Laus & Vituperium huius Legis. Quis huic legi primum derogauerit?* §. VIII. *Culpatur Iustinia-*

)}
1145

CONSPECTVS.

nus in Legem Voconiam inique detonans. §. IX. Sensus Verborum Pauli in Epist. ad Rom. Cap. VIII. v. 17. ab aliorum Interpretationibus sinistris vindicatur. §. X. Conclusiones. §. XI. Studium Germanorum circa conseruandum familiarum splendorem. Illius rei Causa. §. XII. Lex Salica & Ripuaria. Quinam Ripuarii fuerint? Successio Masculorum non ad salicam tantum terram est restringenda. Quod ex Marculfo patet. Mos elocandi filias Francorum. Quid sub Saxonum Gerada veniat? §. XIII. Lex Saxonum & Angliorum. §. XIV. Gothorum septentrion, Suecorum ex Stierahœckio. Ius Dalicum. §. XV. Ius Danicum seu Iuticum circa Successionem. Albert. Kranzii sententia de hoc Iure. §. XVI. Leges Normannicæ. Sententia Ill. Comment. ad illas probatur. §. XVII. Viss Gothorum Constitutiones antiquæ. Quod non fuerint Romanæ. §. XIX. De Ostrogothis. §. XIX. De Vandalis seu Burgundionibus. §. XX. Vetus ius Allemannicum. §. XXI. Longobardicum. Notatur Iuarus Nicolai. Iura Statutaria plurimarum Italiæ Ciuitatum. §. XXII. Iuris peregrini introductio ad quæ tempora constituenda. Statutus Imperii querelæ in conuentu Francofurtano.

CAP. II.
DE RENVNCIATIONE FE-
MINARVM NOBILIVM EIVSQVE
OCCASIONE.

§. I. Connexio. Nobiles tenacius inhasere con-
sue-

suetudinibus antiquis, quam Plebei. §. II. Ipsorum enim causa leges lata. Iura peregrina Nobilibus pernicioſa. Grauiamina ordinis Equeſtris contra illa. §. III. Tempus atque cauſſa renunciationum. §. IV. Exule Iure peregrino etiam renunciationes exulabant. §. V. Iam ante Maxim. I. obtinuerunt renunciationes. Vera huius renunciationis expoſitio.

CAP. III.

DE EFFECTV SPVRIO RENUNCIATIONIBVS FILIARVM TRIBVTO.

§. I. Vulgaris quidem ſed erronea Doctorem de renunciatione ſententia proponitur. §. II. Concluſiones & quaſtiones ex hac ſententia profluenteſ, iuribus peregrinis adſcribende. §. III. Nobiles non feminis ſed legi & conſuetudini, ſplendorem familiarum debent. §. IV. πῶδρον Ἰσῦδος in Frommanniana formula. §. V. Diſſenſus Frommanni a Marpurgeniſibus Anteceſſoribus. §. VI. Eiuſdem Formula explicatur. §. VII. Marpurgeniſum Ictorum de uſufructu ſententia refutatur. §. VIII. Alorum de fideiſommiſſo tacito opinio refellitur. §. IX, X. Frommanni ſententia reiicitur. §. XI. De fructibus intermedio tempore perceptis percipiendis, extantibus & conſumptis an reſtituendi heredibus regredientibus? diuerſæ diuerſorum opinioneſ. §. XII. Male

Re-

Renunciationum capita neglecto iure patrio ex principiis Romanis diludicantur. §. XIII. XIV. De collatione dotis heredum regredientium, quid sentiendum?

CAP. IV,
SCHOLIA AD FORMVLAM
biß auf einen ledigen Anfall.

§. I. *Quid vocula Donec denotet. Quomodo intelligenda formula: biß auf einen frehen ledigen Anfall.* §. II. *Quomodo renunciatio hereditatis fraterne explicanda? Notatur hac parte Knipschildius.* §. III. *Quæ nostra sit sententia, exponitur. Fælia omni iure sorori multo magis remotioribus præfertur.* §. IV. *Pugna testamenti factionis cum peruersa DD. explicatione. De cautione quam sorores exigere posse quidam autumant, quid sentiendum?* §. V. *Cautelæ. De Pago Craiachoniensi nonnulla. Quid sentiendum de placito Nobilium Anno 1653. factò? Quid apud Bojos obtineat? Conclusio.*



PROOE-



PROOEMIUM.



Quoties scripta eorum lego, qui de *renunciationibus filiarum nobilium*, ratione successionis in hæreditate parentum, aliquid litteris memoriæque prodidere; toties doleo, eos illotis hanc ad rem manibus accessisse. Adeo omnia miscent, & origines negligendo pleraque confundunt, ut ius cerebrinum & nouum cooriatur, sicque familiæ splendidissimæ libris æternis vexentur, vna recentiorum placitis innixa, altera veritati antiquæ confisa; ceu fieri solet, cum spes nummi ad certandum incitat, & de meo ac tuo vehementer disceptatur: dissentientibus interea doctoribus causidicisque in vtramque partem argumenta conglomerantibus. In quo ne perpetuo cæcutiant, sed ad fontem veritatis adducti limpidiora hauriant, ac generalibus tantisper omissis, specialiora percipiant, eoque pacto ad verum a falso discernendum idonei reddantur, perficiam fortassis breuiter & solide.

CAP. I.
DE NEGATA FEMINIS SVCCESIONE INPRIMIS IN GERMANIA.

§. I.

Non contemnuntur feminae, sed quaeruntur; quaerenturque, quam diu subsistet orbis, & genus propagabitur humanum. At merito tamen masculinus sequiori praelatus est sexus multiplici ex causa; inque primis maior semper ratio fuit habita filiorum, quam filiarum in successione haereditaria parentum. Saltem id cum ortu generis humani in usum videtur iuisse, ut filiae, post contractas nuptias, parte bonorum modica contentae a reliqua haereditate exclusae copias ac possessiones omnes fratribus sponte sua relinquerent. Exempla filiarum Labanis praesto sunt, quarum sermonem adnotavit Moses *Genes. XXXI. v. 14.* Jacobum stimulantes, ut a parentis duri Labanis latifundiis discedens ad patrios focos in Canaanam se reciperet. *An inquit, adhuc portio aliqua & haereditas est nobis in domo patris nostri? Nonne pro alienis habitae sumus ab illo, quem vendidit nos?* IACOBVS PERIZONIUS in dissertatione pererudita *de lege Voconia* p. III. verba haec sequenti ratione interpretatur: *Quid est, quod te possit hic morari, quamobrem profectonem, quam in animo habes, in terram patris tui non institueres? Annon enim omnia, quae sunt in domo patris nostri, post mortem eius erunt fratrum nostrorum,*



strorum, nisi si ille moriens d. ferte aliud mandauerit, nobisque aliquam hæreditatis partem legando reliquerit, quod ab eo exspectandum non est, qui sine dote nos tanquam alienas collocauit, & nudas tibi dedit pro mercede seruitii tui. Id addo, quod præstantissimus Calmetus ad locum, hunc animaduertit, non id fuisse vitio vertendum Labani, quod sine pretio accepto, vel ἰσογγόπω non elocauerit filias: inualuisse hunc morem per totum orientem; quod & Præses obseruauit in dissertatione, de emptione vxorum; sed quod eripuerit Iacobo laboranti lucrum legitime partum, ac ne istud quidem illius vxoribus pro dote reliquerit. Eo modo se pro alienigenis, aiunt, habitas, dum profus acceperè nihil, quod ipsis esset pro hæreditate, aut dote. Etsi enim emptæ sunt virgines, ac patri solutum pretium; nequaquam tamen id retinere solebat pater, sed filia nubenti largiebatur cum incremento de rebus suis. Laban nihil dedit, & quod plane insolitum, mercedem laboris retinuit; durum hac parte Dominum induens, qui vendit mancipia, & ex tali pretio loculos suos adauget. Vnde rectius vertuntur Hebraica verba: *Nonne pro alienis nos habuit, quum vendidit nos, & venditionis pretium simul, seu argentum nostrum consumpsit?*

§. II.

Quidquid aliquando filiabus ex hæreditate fuit indultum, vel modica pars, vel extraordinarium erat donum ad exceptiones pertinens, quæ firmant regulam. Ita Moses refert de filiabus Zelapheadi Numer. XXVII. *datam illis esse hæreditatem in*

medio fratrum Patris sui, tanquam fingulare, quem ad modum & in libro *Iobis* XLII. n. 15. legitur, cum tribus filiabus suis tribuisse *נחלה* hæreditatem, non ex æquo, sed aliquam tamen illius partem. Et fac, æqualem cum fratribus portionem eas accepisse; manebit tamen regula atque exemplum hocce in extraordinariorum classem erit reponendum: nisi forte dixeris, Iobum fuisse Arabem, non Hebræum; adeoque moribus Hebræorum sese minime accommodasse. Sat est, diserte *Numer.* XXVII. v 8. præcipi ludæis, vt tum demum ad *filiam transeat hæreditas, si filius non sit.* Quare clarum est, filias apud Hebræos ab hæreditate paterna creditas extorres; nec certe admissas, etiamsi filio præmortuo superstitem is tantum filiam reliquisset, quod Seldenus argute probat *de successione ad leges Hebræorum* cap. VIII.

§. III.

Causa eius rei non ex longinquo videtur arcessenda. Votum quippe mortalium commune est, vt suum ad posteros propagetur nomen: atque hinc in omnibus quoque ciuitatibus id fuit præcipuo studio curatum, vt veterum ciuium familiæ, quantum fieri posset, in suo splendore ac dignitate conseruarentur, recte iterum rationes subducente *Iacobo Perizonio* l. c. Feminae vero sicuti paternum nomen, in alienam familiam translatae, cum nomine mariti commutant; ita istud non solum non conseruant; verum etiam paternam domum pauperiorem redderent, suamque auctiorem & multo lautiolem, si paternas & auitas opes ad maritum, ex pari cum fratribus

tribus diuisas, adferrent. Quod ne fieret summo iure est prouisum, vt a cernendis paternis hæreditatibus prohiberentur. Ex quo patet, splendorem masculorum non proficisci a *liberalitate sororum*, sed a lege & more omnium fere gentium, *παιδας ἀγαθούς* pro columinibus & firmamentis familiæ habentium.

§. IV.

Nam & Græci vetusti atque Athenienses maxime, cum Hebræorum legibus a DEO acceptis conspirant; eorumque consuetudo erat, bona dare filio, filiæ dotes, *tria vestimenta ac parui pretii instrumenta*: neque illa *ἐπιτάφιος* efficiebatur, nisi vel fratre destitueretur, vel is morte sublatus non amplius appareret. Probari id luculenter ex *Isæo* atque *Demosithene* posset, nisi laudatissimus PERIZONIVS cum SAMVELE PETITO in medium adtulissent, quod satis, ac rem totam accurate illustrassent.

§. V.

Quocirca maxime mirum, Romanos antiquissimos Græcorum leges ceteroquin valde amantes, ab illorum more hac parte recessisse. Saltem Tribonianus §. 5. *f. de leg. agnat. success.* sibi perluadet, lege XII. Tabularum *simili modo omnes agnatos siue masculos, siue feminas cuiuscunque gradus ad similitudinem suorum inuicem ad successionem fuisse vocatos.* Quod quanquam dubium videtur PERIZONIO ægre Triboniano fidem tribuenti, non puto tamen hunc venditasse legentibus fumum; cum & *Paulus Lib. IV. sentent. tit. 8. §. 22.* idem confirmet, nempe in XII. tabulis nihil differentiæ, ratione successionis,
inter

inter masculos & feminas offendi; vt *l. pen. C. de legitimis heredibus* omittam.

§. VI.

Ex quo pene colligitur, iam Romuli ætate promiscuum hoc ius inoleuisse; inde, si coniecere licet, permanens, ne absterrentur, paupertatis opinione, homines externi in asylum Romanum confluentes, si nihil ex hæreditate paterna filiæ nobiles haberent sperandum. Quæ consuetudo succedendi semel inueterata difficillime, nec, nisi tribuno plebis voconio Saxa interueniente, demum tollebatur. Qui enim democratico spiritu aguntur, æqualitatem & disciplinam in domos cupiunt reductam; cumque nimix opes superbiam vxoribus inspirent, atque familia vna gentilitiis bonis exhausta altera vltra modum ditescat, hinc auctor suasorque fuit censorius Cato, vt pessulus obderetur licentiæ relinquendi feminis vel ex caussa testati vel intestati, sed illæ potius dotibus suis, quæ tum fatis erant locupletes, viuerent contentæ; nec vltra summam centum millium H. S. vnquam acciperent, siquidem cupido incesserit aliquem, honorandi feminam vel legati, vel hæreditatis titulo, soror fuerit forte, an consanguinitate coniuncta, an denique extranea. Hic verus est voconix legis sensus: cuius in explicatione ceteroquin monstra occurrunt variarum aberrationum, humi prostrata a doctissimo *Perizonio*, Dionis, Ciceronis, *Quintiliani*, *Asconii Pediani* in speciem contraria loca egregie interpretante: quæ in transfuersum



sum egere *Hottomannum*, *Cuiacium*, *Bacchonium*, *Vinium* cum multis aliis inferioris subfellii consultis.

§. VII.

Hanc legem sicuti magnopere laudat Paganus Gaudentius in libello *de lege quæ feminas a successione repellit*; ita e contrario peculiari diatribe eam vehementer reprehendit *Juanus Nicolaus Hersholm* Danus, iuris interea scientia, quæ hic requiritur, pæne destitutus. Unde usu venit, ab hoc ut Iustinianus ad cælum euehatur legi Voconia profus derogans; atque ab altero vicissim idem Imperator admodum deprimatur, ius tam salutare e medio tollens. Ego cum intra, tum extra muros peccari arbitror. Neque enim solus Iustinianus legi Voconia detraxit, familias antiquas æqualiter conseruare nitenti, sed Imperatores iam ante per latus illam impetiuere, dum priuilegia contra voconianam rationem indulgere, aut ipsimet, veluti Augustus Liuiam in triente instituens, ab eius rigore recefferunt. Nec silentio prætereundum, Prætores quoque sub æquitatis obtentu, bonorum possessionem filiabus petentibus & cognatis dedisse: manifesto indicio, non placuisse sub principatu illam æquationem familiarum, eoque modo, luxu inualescente opulentiaque ciuitatis, Voconiana scita operta rursus atque obliterata in multis fuisse, ceu Gellius iam Hadriani tempore *Noct. Att. Lib. XX. C. I.* diligenter adnotat. Libere quippe ac sine crimine vltra summam definitam legabatur Romæ, ac femina hæredes scribebantur; donec tandem Iustinianus successione ab

B

inte-



intestato pomœria extendendo sequioris sexus liberis paternas maternasque hæreditates ex pari tribueret; præudentibus iam aliis Senatus consultis ac legibus feminarum successionem dilatantibus.

§. VIII.

In hoc vero Iustinianus admodum paratrægiæ datur, quando, sine vlla historiæ luce, in Voconiam, latenter licet, detonat, feminis contra naturam iniuriam factam arbitratus, simulatque Armenios acerbe in Nouella XXI. exagitant, vt qui ita ferociter sentientes feminas a Parentum & fratrum successione excluderent; *cum aliis barbaris gentibus ex-honorantibus naturam, & femineum genus iniuriantibus, tanquam non a DEO sit factum, sed tanquam vile & ex-honorandum.* Quod quam fit illepidum nemo non paullo humanior intelligit, pensitans cum cura, vnicuique Reipublicæ suum esse *idiot*, suos mores ac rationes; nec feminas propterea contemptui haberi, nec indotatas relinqui, sed a maritis dotari, nisi quidem & Pater aliquam iis bonorum partem dotis nomine largiatur: quod multis erat populis ipsisque Quiritibus, post Voconium plebiscitum, familiare, iura Iustiniana de cetero ignorantibus, aut insuper habentibus comparate.

§. IX.

Sed fecit tamen Imperatoris insulsa argumentandi ratio, vt ignobiles quidam Legulei pro feminarum successione in ipsis quoque litteris sacris præsidium se inuenisse iactauerint, ad Paulum propterea prouocantes in epistola ad *Romanos cap. VIII. v. 17.*



εἰ δὲ τέκνα καὶ κληρονόμοι : vnde concludunt hæredita-
 tem ad liberos sine discrimine pertinere, cum & fi-
 liæ liberorum nomine veniant. At obseruatum iam
 est ab *Hugone Grotio* ad *h. l.* Apostolum ad Israeliticum
 morem respicere, secundum quem filiis primario
 hæreditas debeat, ac secundo demum, si filii
 non sunt, sequioris sexus liberis : hinc τέκνα pro fi-
 liis accipit cum *Theodoro Beza*. IOANNES ALBERTI,
 vir alioquin eruditus, labitur hoc loco in *Observatio-
 nibus Philologicis* in N. T. libros p. 308. vtramque ver-
 sionem bonam existimans, liberos promiscue per
 vocem τέκνα reddentem, atque etiam filios solos cum
 gnatarum exclusionem intelligentem: alteram ad He-
 bræorum leges respicere, alteram ad Romanorum.
 Pauli quippe ætate nondum lex Voconia in desue-
 tudinem abiit; nec filia parentis intestati, quin nec
 testati copias ac possessiones ex integro percipiebant.
 Ex quo constat, Romanos hoc sensu Paulo in men-
 tem venire vix potuisse, quos *Cl. Alberti* ratione or-
 dinis succedendi discriminat ab Hebræis, vt pote
 vtrique sexui hæreditates ex æquo largientes. Quod
 vtique a veritatis regione longe aberrat. Ceterum
 nec *Grotius* rationes per omnia bene subducit, quan-
 do generatim verum existimat, & filios necessario
 & filias, iis demum deficientibus, iure Hebræorum
 fuisse hæredes: Vacillat namque applicatio ratione
 hæreditatis cælestis, cui Apostolus dicta sua accom-
 modat, in qua obtinenda nullum prærogatiuum ius
 masculis est concessum. Hinc aliam *CALMETVS* vi-
 am intrat, opinatus, adfirmare Paulum, iure He-
 bræorum

bræorum filios quidem hæreditatem terrestrem cernere, non filias: sed Dei hæredes omnes fore, qui cum Christo patiuntur, nullo intercedente sexus, aut ætatis discrimine: ita vt nunc verba κληρονόμοι μὲν Θεῷ cum oppositione videantur accipienda hoc sensu: Filii quidem ex lege Mosis ad hæreditatem vocantur; Dei hæredes vero, & coheredes Christi, qui omnium nostrorum est frater communis, vniuersi, atque singuli sunt, qui συμπάσχοντες, hoc est, cum eo simul patiuntur, eiusdem propterea gloriæ participes futuri. Vbi igitur perpeffio calamitatum cum Christo, ibi simul hæreditatis cælestis participatio certissime est speranda. Id vero probatione nulla indiget, τέκνα eximie signare filios; sicuti vicissim apud ICtos filiorum nomine omnes liberi aliquando intelliguntur l. 84. ff. de V. S.

§. X.

Quæ consideratio efficit, vt nec diuino iure ἐγγράφω, nec ἀγράφω & naturali necessario dici possit, sorores cum fratribus promiscuo iure ad heriscundam familiam esse admittendas: eaque ad ἀδόκιμα vel ψευδογραφήματα referenda est consecutio: eos, quos natura coniunxit, in successione quoque non videri diuidendos. Habent masculi sua iura, habent & feminae, ac si hæc aliquid valeret ratio, nulla in re masculorum & feminarum iura forent discernenda. Sed ita iudicant homines imperiti, quamcunque rationem probabilem, aut suaforiam aut ingeniosam tantum, pro iure diuino atque immutabili venditantes: Iustinianum hac parte imitati, misere
sape



sape argumentantem ac veteres leges temere subruentem, non perspectis causis, quæ veteres impulere, quare hanc stabilierint legem, alteramue: quod facile foret probatu, si nouas eiusdem leges atque emendationes antiquarum perlustrare paullisper vellemus: quod tamen alio tempore commodius fiet.

§. XI.

Id dignum adnotari, Germanos nostros suis in moribus retinendis aliquanto tenaciores deprehendi; cum primis in præsentî, de feminarum successione, quæstione. Semper isti viros magis, quam feminas in distributione bonorum gentilitiorum diligebant; nec forte latet genuina causa. Bella enim amauit hic populus, nec vlla maiori cupiditate vregebatur, quam militandi ac pugnandi: vita militaris vero sumptus poscebat haud quaquam modicos, vnde sustentaretur arma ferens; ac vbi infelici certamine exiuit victus, is iterum restituendi se suaque copiam facultatemque haberet: vt generalia omittam, de conseruando familiarum splendore argumenta, quæ sicuti in filiis subsistunt, & tanquam solidissimis fulcris sustentantur, ita per feminas & in illis extinguuntur.

§. XII.

Itaque Franci potissimum in lege Salica tit. LXII. §. 6. cauerunt, *ne in mulierem vlla portio hereditatis transeat*: quod lex Ripuaria tit. LVI. de allodibus clarius effert hoc modo: *Cum virilis sexus extiterit, femina in hereditatem auaticam non succedat*. Binas autem hasce leges in plerisque conspirare tralatitium

non solum est, sed & ex inspectione probatur; eorumque opinio merito vapulat, qui Ripuarios vel gallos, vel Romanos fuisse statuunt: quorum in societate nuperum Galliae Historicum *Danielem* deprehendimus quoque. Eadem fere in Ripuaria hac lege verba obscura & barbara occurrunt, quae certe Germanicam originem spirant, ac satis indicant, Ripuarios nec Gallos fuisse, nec Romanos. Neque est, quod quis ad salicam terram successionem masculorum restringat, inque bonis aliis nec feminas abigendas existimet. Constat enim aliunde & quidem ex *MARCVLI formulis* contrarium Lib. II. form. XII. & X. In prima affirmatur, *tenere inter Francos consuetudinem, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant.* In altera vero enuntiatur, *per legem nepotes ex filia cum ceteris filiis & auunculis comparate in aloe accedere non posse.* Id non nego, duram quibusdam, ipsos inter Francos, hanc legem fuisse visam: hinc aliquando singulari traditione ac dispositione filias facultatum ac possessionum suarum participes fecere; quod confirmant adductae formulae, ex quibus de cetero perperam aliquis inferat: ergo filiae omnino successerunt. Exceptio namque singulare quidem ius ex prouisione parentum, filias aliquando tenerrime amantium, coortum arguit, non autem ordinariam legem, feminas promiscue ad successionem vocantem, comprobat. Quidquid mulieri obueniebat, accidentario lucro aut emolumento erat adscribendum, cum vel masculi deficerent, vel aliunde ex benignitate parentum,

tum, vel externorum hominum liberalitate aureus imber in earum sinum deflueret. De *hereditate* loquor. Neque enim nudas eiiciebant Franci filias suas, sed non nihil de bonis suis largiebantur; quem in finem conferenda rursus est *formula X.* in qua diferte extat, Patrem filiae suae in aliam familiam nubenti *non nulla de mobilibus suis, drappis, fabricaturis & mancipiis* donasse; idque inter alias nationes Germanicas quoque in usu versabatur, *ut vestimenta haberet filia, & non nihil ex operata pecunia*, ceu loquitur lex familiae apud *Burchardum Wormatiensem*: clarissimo indicio, etiam inter fervilis conditionis homines masculos praerogatio iure terras ad se traxisse; ceteris non magni pretii rebus ad sorores transeuntibus. Talia Saxones *Geradam* suo idiomate nominabant: res ipsa aliis quoque Germanicis populis innotuit.

§. XIII.

Neque enim dubitandum, quin Saxones & Anglii in legibus suis eundem morem servauerint. Lex Saxon. c. 39. aperte: *Pater aut mater defuncti filius, non filiae hereditatem relinquunt.* Lex Anglior lit. 7. *Hereditatem defuncti filius non filia suscipiat.* Quibus & speculum Saxonicum concinit his verbis Lib. I. art. 17. *Vaters und Mutters, Schwester, oder Bruders Erbe nimmt der Sohn und nicht die Tochter, es sey dann, daß da kein Sohn sey, so nimmt es die Tochter.*

§. XIV.

Etiam Gothos Septentrionales, Suecos, Danosque

que nihil sequiori sexui de paternis ac gentilitiis bonis antiquitus permisisse, Stirnhoeckius auctor est de iure Succorum & Gothorum vetusto p.185. Ante tempora, inquit, *Bergeri Iarli, soror, nec in trientem quidem cum FRATRE successit, quod & apud Saxones obseruatum fuit, & de iure etiam diuino obtinuit, propter familiarum conseruationem, quæ in filiis subsistunt, per feminas vero extinguuntur; neque periculum erat, ne non ducerentur, pauperes scilicet & indotata, cum lex eadem omnes eas constringeret, ex quibus uxores erant capiende, & patres, fratres, propinqui ad dotem dandam tenerentur: cuius ratio, postquam cum fratribus ad hæreditatem admisse fuerunt, euauit.* Hic Bergerus Iarlus autem Sæculo XIII. vixit, Waldemari tempore vicarius Rex, de cuius legibus scriptores Sueci vno ore testantur, atque inter alia obseruant, trientem sororibus illum concessisse, cum ante istam ætatem feminæ masculis solis assẽm hæreditatis cogèrentur relinquere. De iure *Dalico* femina etiam nunc in primo gradu post ponitur, & nunquam ad hæreditatem capeffendam habilis est, existente in pari gradu masculino, aut eius liberis: post eos tamen admittitur, vt ex assẽ quidem, si sola sit, vel eius liberi: olim semper exclusa, quod latius perfequitur celeberrimus *Stirnhoeck.*

§. XV.

DANI vero cum sint veri Gothones, seu Iuttæ, parum fauisse feminis ex eadem ratione videntur; unde hodierno vsu feminæ in solo triente succedunt, duplici portione fratribus relicta: quod ius Iutticum per-



perspicue commonstrat. Quis Regum vero laxaverit hac parte successionis iura, ambiguum est. Suspicor, ante sæculum XIII. vel XIV. id non contigisse. Habet tamen aliquid *Albertus Kranzius* lib. XII. *Wandalie* cap. 33. Canutum Haraldi Patris oppressorem pro auctore mutatae legis venditans, qui in remunerationem liberalitatis a feminis locupletioribus exercitæ, mundum muliebrem suum ornamenta ac inonilia ad Regem captivum redimendum vendentibus, eos quadantenus maribus in successione exæquasset. Quod an prorsus certum, dubito.

§. XVI.

Eodem ex fonte profluxisse videtur, quod in legibus NORMANNICIS inuenitur Lib. II. cap. XXVII. n. 18. quarum Codicem publici iuris fecit Illustris academix nostræ Cancellarius Reliquiarum Tom. VII. SORORES autem, inquit, *in hereditate patris nullam debent portionem reclamare versus FRATRES, vel eorum hæredes, sed maritagium possunt requirere.* Adnotat hoc loco COMMENTATOR percommode; *Est hæc veritas & fides habenda maximi. Nam filiabus successio debetur etiam in alodio aut feudo vulgari, non nisi subsidiaria fratribus deficientibus. His moribus viximus olim Germani; hodieque iure isto utuntur nobiles familiæ in Franconia & Holsatia. Ut filix tantum capiant aliquid quod sufficit ad victum & dotem. Exulat hic legitima Latii & illius portio desinita iusto largiori manu ac mensura.*

§. XVII.

Quæ cum ita sint, novum videri posset, VISIGOTHOS in Hispania contra consuetudinem Germanorum

C

rum

rum, feminas a cernenda hæreditate parentum non absterruisse. Saltem eorum lex *Lib. IV. tit. I. l. 9.* promiscuam illis facultatem succedendi tribuit his verbis: *Femine ad hæreditatem patris, vel matris, auorum vel auiarum, tam paternorum, quam maternarum ad hæreditatem fratrum vel sororum, siue ad has hæreditates, quæ a Patruo vel a filio patru, fratris etiam filio, vel sororis relinquuntur, equaliter cum fratribus veniant. Nam iustum omnino est, ut quos propinquitas nature confociat, hæreditariæ successione ordo non diuidat. Sed puto tamen aliter olim Visigothos quoque dispensasse successione ordinem: quod imprimis confirmat l. 2. h. t. In hæreditate illius, qui moritur, si intestatus decesserit FILII primi sunt. Si FILII desunt, nepotibus debetur hæreditas, cetera.* Feminarum nulla prorsus mentio iniicitur; eaque lex notatur *antiquæ* nomine, quæ sine dubio euauit, *Cindasuindo* Romana iura hac in caussa substituente, cuius nomen legitur in rubrica *l. 9.* adductæ. Inde vero erroris conuincuntur nimium manifestis signis, qui *antiquas* istas ex iure Romano venditant desumptas: in viam reducendi a NICOLAO ANTONIO *Bibliothecæ Hispan. ant. tom. I. p. 270.* Ifidorum Hispalensem pro conseruatore earum legum, quas illi æquales Reges in publicum edidissent, laudante; atque *has fortasse illas esse, quæ sub ANTIQVAVRM epigraphæ, siue vlla promulgatoris mentione, per totum vbiqve opus sparsæ conspiciuntur.* Quæ coniectura profecto melior apparet, quam cum generatim ab aliis *antiquæ, sine vlla probabilitatis specie, vocitantur Romanæ.*

§. XVIII.

§. XVIII.

De OSTROGOTHIS certioribus documentis constat, eos feminas a familia diuidenda exclusisse. Ita enim *edictum* THEODORICI c. XXIII. *Si quis intestatus mortuus fuerit, is ad eius successionem veniat, qui inter agnatos atque cognatos gradu, vel, titulo proximus inuenitur, SALVO IVRE FILIORVM AC NEPOTVM.* Nemo ambigat, quin ius filiorum præcipuum intelligatur, apud Teutonicas gentes vniuersim pæne inueniendum.

§. XIX.

Audiamus namque Gundebaldum Vandalorum, seu Burgundiorum Legislatorem Tit. XIV. n. 1. *Inter Burgundiones id volumus custodiri, ut, si quis FILIVM non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.* Ergo filio superstite filia abigitur a successione.

§. XX.

Quod & Allemannico iuri congruit vetusto tit. LVII. ex quo colligitur, tum demum SORES peruenisse ad hereditatem paternam, si FRATRE essent destituta; EO VIVENTE nihil ad illas pertigit. Quod paullo clarius exprimitur in *specula suevico* c. 336. in quo sine circuitione ius Hebræorum vetus approbatur, quod Viris possessiones parentum destinauerat, ac feminas earum exfortes iusserat. Nolo adscribere verba, quæ paullulum sunt copiosiora, atque ab vnoquoque propriis lustrari oculis commodius queunt.

§. XXI.

LANGOBARDI autem, sicuti vera Sueuorum portio

tio sunt ; ita eundem modum succedendi in illorum legibus deprehendimus. Sic enim *Lib. II. tit. 14. l. 19. Si quis Langobardus sine filiis legitimis masculinis mortuus fuerit, & filiam dereliquerit vnã, aut plures legitimas, ipsæ ei in omnem hæreditatem patris sui tanquam filii legitimi masculini hæredes succedant.* Nemo non videt, filiabus tum demum hæreditatem a Luitprando Rege decerni, si quis sine prole masculina ab hac vita discedat. Supra nominatus Iuarus Nicolai conferri iubet *l. 6.* eodem libro ac titulo, quæ feminis ad hæreditatem aditum minime oclufisset. Sed perspicue errat. Tanta enim masculorum prærogatiua potius eo in loco obseruatur, vt filii NATVRALES succedant cum filia legitima quatuor in vncias: cum hæc vicissim à paterna hæreditate prorsus exulet, si mascula suboles superfuerit e legitimo thoro suscepta. Ac notat *Paganinus Gaudentius*, inde potissimum statutaria in pluribus Italiæ ciuitatibus iura esse enata, filias a parentum successione excludentia; nisi quidem & Gothis, & Langobardis adscribendum aliquis id consuetudinis censeat: inprimis cum Paulus Castrensis ad *auth. nouissima Cod. de inoff. test.* testetur, filiam in Italia superstite masculo exhæredem censi; miraturque hinc *Antonius Matthæi in miscellaneis exercitationibus* cap. XIV. n. 27. ita vili pendi ea in regione ius Romanum, alibi tam sancte custoditum, vbi interea istud suum acceperit ortum.

§. XXII.

De *Bois* capite sequente non nulla in medium feram; iam obseruaturus duntaxat, iis in locis omnibus

bus feminas non videri ad hæreditatis communio-
nem admittas, vbi altero tanto plus capit filius, quam
filia; ceu est ordinatum in consuetudinibus Selwerd-
tensibus, Olddampdensibus, Omlandicis, Mechli-
niensibus, ad quas prouocat laudatissimus A. Matthæi
Nepos; vt Suecos Danosque, de quibus supra, si-
lento præteream.

§. XXIII.

Sæculo enim XIII. vsu videtur venisse, vt iura
antiqua inciperent sordescere. Ipse Fridericus II. si-
culas constitutiones in multis ad iuris Romani de-
cepcedam mutauit; atque in prouinciis Germaniæ
tum ipse, tum Pontifex Romanus varia in legibus
antiquis reprehendit: quare factum, vt Teutones
iura ac consuetudines suas maiori sollicitudine con-
scriberent, ac *Repkouins* quoque speculi Saxonici
compileret querimonias contra Papam sat graues
cieret, vt qui Saxonum ius contemnat inique, ac
peregrina iisdem ac deteriora obtrudere molitur.
Cum primis autem de ipso Friderico II. innotescit,
eum in Francofurtano imperii conuentu a statibus
imperii fuisse sollicitatum, vt leges prouinciæ aucto-
ritate sua muniendo Principes ac comites nouo vin-
culo constringeret, ne in iudicando ab illis deserte-
rent. Cui rei probandæ testimonium suppeditat Al-
bericus trium fontium monachus ad. a. 1234. *Ad hæc,*
inquit, autoritate regia præcipimus - - vt, si Comes, vel
alius nobilis iudicium habens non iudicauerit secundum PRO-
VINCIARVM. CONSVETVDINEM, Domino Regi, sicut dictum
est, centum marcas argenti componat. Vnde iudicium

fit, migrasse tum temporis aliquos veteres leges & prouinciarum mores; alioquin enim tam grauis poena in contrauenientes non esset statuta. Et canonum ius vero & Romanum ciuile paullatim in Allemanniam aliasque partes Germaniæ irrepsisse, tanto clarius constat, quanto certius est, Pontifices de Saxonibus solis esse conquestos, quod veteres consuetudines pertinacissime retineant, nec Romano quoque præfuli permittant, aliquid vt hac parte immutet; idque e bulla Gregorii XI, quæ est apud Ordericum Raynaldum, perspicue firmatur. In superiore Germaniæ parte minore difficultate peregrina iura radices agebant, vt quæ Italiæ solo prior erat, eiusque incolæ cum Dominis suis frequentissime iis in terris versabantur, externa videntes & audientes, cum litteris Bononiæ operam darent, ac, pro re nata, in vsum perceptas deducere doctrinas laborarent. Quare vix dubitamus, quin Sæculo XIII irrepsit ius peregrinum, aut saltem introducere istud quidam contente fategerint. Vt ita arguam, renunciationes faciunt, de quibus illico aliquid tum generatim proferemus, tum speciatim.

CAP. II.

DE RENVNCIATIONE FEMINARVM NOBLIVM EIVSQUE OCCASIONE,

§. I.

Quod molestum accidit hominibus, id abigere illi & amoliri a se tenaci studio laborant; cum-

cumque nihil difficilius deponatur, quam quod publicos in mores lege & vsu est introductum; & velut cum natura ortum accepisse suum creditur; hinc varia excogitantur, ne labascat vetusta consuetudo, idque, cui non sine emolumento ac commodo nostro longo tempore inhæsimus, aboleatur. Cuiusmodi renitentia in nobilibus viris adhuc magis obseruatur, quam plebeiis, qui in omnes horas mutabiles sunt, & noua amant, & peregrinis facilius adfuescunt: non adeo prospicientes in futurum, nec ad familiæ dignitatem & gloriam conferuandam ita proni, cum nomen fere habeant nullum, suisque tantum, quibus in præsentia fruuntur, vtilitatibus vivant contenti; ipsis imperantibus simul parum eos curantibus, quandoquidem ad auctoritatem sibi conciliandam nec videntur nati, nec facti.

§. II.

At longe alia eorum, qui antiqua generis pro sapia effloruere, conditio est. Hi enim & robur monarchiæ, & regalis potentiæ firmamentum semper sunt habiti: eorum societate stipati bella gesserunt Principes, victorias obtinere Reges, & viribus opibusque illorum adiuti, exteris formidabiles; & inter suos semper magnifici apparuere: eoque sine negotio intelligitur, quam ob rem rata sententia manserit, masculos debere feminis præponi, a qua neque abscedere nobilitas, neque ei aduersari Imperatores poterant, si quidem ipsimet tueri auctoritatem & maiestatem suam cuperent communire. Vix enim retinetur dignitas, nisi ampla familiarum patri-

patrimonia & antiqua auitaque bona vno cumulo filiis, nepotibus, ac posteris masculis reseruentur. Cui splendori cum Romana ac peregrina iura Iustiniiani Pontificumque admodum officiant, omnimodam inter liberos æqualitatem, sub æquitatis fanaticæ specie, commendantia; tanto dilucidius nunc quidem constat, quare sint illa periculosa, quantamque cladem habeat extimescendam ab illis nobilis propago. Neque enim prætermittendum, Germanorum nostrorum leges nobilibus potissimum fuisse accommodatas: rusticis inter mancipia locum indispicientibus, ac ciuibus raris, quam diu non essent vrbes, ac dum inualescerent, ultra seruilem sortem earundem incolis vix adscendentibus. Itaque mutatione eueniente non tam rusticis, aut mercatoribus, aut cauponibus clades imminebat, quam Viris antiquitate generis & gloria maiorum exsplendescentibus; mirumque proinde non est, eos perorasse cum maxime contra ingruentem peregrinarum legum molem, deminutionem dignitati suæ atque exitium minantium. Congrua huic fini sunt, quæ *Ioannes Burcardus Verpoorten* (*) e MS. Dieterici de Giech, fortiter nobilium iura defendentis, in medium tulit, cum Episcopus Bambergensis nouam iuris ordinationem edens iura communia præciperet, sectanda. Tacite enim vir iste illustri patria sic abrogari iura præuidebat, atque pecunia nobilitatem a doctoribus iri emunctum bene intelligebat: hinc grauamina eque-

stris

(*) De inuestitura allodiorum in appendice p. 133,

stris ordinis quam plurima a. c. 10 III. contra hanc innoationem propofita, ne vetuftæ confuetudines, ne ius prouinciæ atque obferuantia maiorum, manifefto nobilitatis intertrimento, pefsum irent.

§. III.

Hic metus ficuti omni tempore, cum peregrini mores ferperent, & ius Romanum partim facerdotum, partim Doctorum Italicorum opera in foris cœpiffent adduci, iuftiffimus erat; ita tam in genere, quam in specie vigiles oculos circumferebant liberi Domini, itemque Franconiæ, Sueuiæ atque Rhenenfis terræ equites, ne litigiofa iura noua & externa fas antiquum atque fincerum, cum multis liberatibus ac priuilegiis, extinguerent. Hinc iam in fæculo XIII. & XIV. frequenter obferuatur, Principes, Comites aliofque illuftres & nobiles viros in conuentionibus fuis cum iuri civili, tum canonico &, quæ inde petebantur, exceptionibus follicite renunciaffe. Quod longa exemplorum ferie præftantiffimus ICTus Ioannes Nicolaus Hertius in difsertatione *de consultationibus legibus & iudiciis in fpecialibus Romano germanici imperii rebus publicis* §. XIV. p. 425. luculenter probat; ita vt maiori documentorum luce minime opus effe videatur: etfi ad manus funt alia quam plura. Quod non folum perfpicue innuit, peregrina noftratibus, atque primariis præcipue hominibus vehementer difplicuiſſe, fed & contra illa renunciationum præfidio eos ſibi diligenter profpexiſſe.

D

§. IV.

§. IV.

Hinc figillatim atque nostro scopo congruenter adnotat *Gaspar de Lerckeln*, renunciaciones filiarum nobilium valde vetustas (*uhralt*) inueniri: quod non repugnat *Gemmingii* asserto, olim renunciaciones prorsus fuisse incognitas adseuerantis. Quamdiu etenim peregrina exulabant iura, renunciaciones filiarum nec necessariae erant, nec fere utiles: ipsa lex patriae excludebat sequioris sexus prolem. At cum Romana & canonica instituta fora personarent, promiscua liberorum successione variis argumentis defendi coepta, non poterant non in mentem venire nobilibus viris saepe laudatae renunciaciones, singulare quid continentes. Neque enim illae eo sensu ac fine suscipiebantur, ius ut renunciantibus competens abiiceretur, atque in masculos translatum iis accresceret aliquid alieni, sed ut duntaxat indicaretur, nolle feminas illustres ex nouo iure, quod in fortis circumstrepere occipiebat, praesidium petere, sed vetusto mori eas relicturas locum.

§. V.

Idque inde potissimum demonstratur, quod, longo antea interuallo, quam Maximilianus I. pluribus in locis ac superioris Germaniae ciuitatibus Iustinianeam succedendi ordinem introduxisset, renunciaciones huiusmodi inueniantur. Saltem *Bargermeisteras* adnotat in libro *de statu equestri Caesar. & imperii Romanae Germanici* p. 461. iam saeculo XIV. occurrere in familia *Neuhauserum* id genus renunciaciones: quae deinde frequentiores factae, cum circa finem

nem sæculi XV. atque initium XVI. ius Romanum in forum ac curias non gradu, sed præcipiti cursu irumpens veteres mores vno subvertere impetu timeretur. Vnde ipse *Wolfgangus Gemmingius* fatetur, sua quoque in familia renunciaciones coortas, nulla tamen mentione *regressus* iniecta. Vix namque ea adiectione opus videbatur, quandoquidem ipsa legitæ erant mulieres, si filii eorumque propago deficeret: tum enim ipso iure hæredes erant, plerisque equestribus prædiis allodiam qualitatem habentibus. Vnde certius inferas, ne hilum quidem a filiabus renunciantibus in fratres fuisse transcriptum, quod referuari potuisset: adeoque renunciaciones earum alio prorsus fine fuisse susceptas, quam creditum est a sequioris ævi Doctoribus. Illi enim *renunciaciones* huiusmodi de hæreditate cessa exponebant; cum illæ tantum hac ratione declararent, sibi nihil iuris in paterna ac materna hæreditate competere more vetusto, qui familiæ splendori retinendo inferuiebat: nec capere sese ex peregrino iure, quod a causidicis sæpius allegabatur, atque sub æquitatis & pietatis specie magnopere commendabatur, præsidium petere vllum: dummodo ius sibi remaneret ad succedendum, demortuis fratribus eorumque subole. Eo enim renunciaciones suas non fore a rabulis extendendas: ne & sui ratione ius antiquum mutetur, finita masculorum serie feminis successionis ius permittens.

CAP. III.

DE EFFECTV SPVRIO RE-
NVNCIATIONIBVS FILIARVM
TRIBVTO.

§. I.

CAussa renunciationum singulari, de quibus egimus, obliuioni data, vix videtur mirum, ad generalia Doctores conuolasse, ac renunciacionis notione interueniente, longius fuisse abductos. Qui enim iuri suo renunciat, aliquid proprii largiri atque in alterum de suo transferre videtur. Quare prona consequentia: renunciantes portionem suæ hæreditatis alienasse in fauorem, stemmatis masculini. Quæ opinio etsi prægnantibus dubiis vrgebatur, cum viuis sæpe parentibus eiusmodi abdicaciones fierent; atque interea viuientium nulla hæreditas esset; multo minus constaret, quid, quantum, & quale ad ius renunciantium pertineret, nec inuentarium quoque ex post facto conficeretur; hæsit tamen & placuit semel delecta sententia, vt vel fideicommissum fingerent, vel vsum fructum portionis renunciatae duntaxat fratribus relictum somniarent, incertum licet maneret, in quo vsusfructus consisteret, quidue fidei eorum fuisset commissum.

§. II.

Nec mora, quin aliæ & nouæ conclusiones ac quæstiones formarentur. Quærebatur namque an hæreditati renunciari possit sine iurando? an curato-

re indigeret femina renuncians? an de iure suo perdendo certior reddi solenni ratione debeat? an nō lens renunciare cogi possit? an renunciatio ad maternam quoque extendi hæreditatem queat? Quæ quæstiones & themata partim ex iure civili, partim ex iure canonico profluxere, ac secundum vtriusque iuris placita a Doctoribus leguleiis fuere decisa. Haud temere leguleios appello id genus iuris consultos. Constat enim inter omnes, maiores nostros peregrina illa iura ignorasse bona fide: nec inde decisionis fundamentum fuisse petendum: imprimis, cum feminae sic se abdicantes nihil amiserint de copiis ac facultatibus suis, nec publica lex illis succedendi ius indulserit, puta sæculo XIV. quo renunciaciones inualuisse adnotauimus supra. Quidquid hac parte susceptum, cautionis ac securitatis gratia placuit, ne forte cauidici exotica iura sectati negotium facerent antiqua tuentibus.

§. III.

Ne dicas, procedente tempore feminis vniuersis atque singulis permissum videri, vt hæreditates cum fratribus affectarent, ac cum effectu peterent: hinc frustra adfirmari, eas de suo nihil in fratres, cum renunciant, transferre. Sine negotio quippe percipitur, hoc ius recens nobiles non admisisse; sed vetus splendori familiarum tuendo convenientius existimasse: quæ vera est renunciatorum notissimarum causa. Vnde iterum concluditur, non feminas illius splendoris conseruandi auctores esse credendas: nihil istæ hac de re per somnium quidem cogitarunt; sed mos

potius maiorum ac lex publica nobiliori sexui a multis retro sæculis prospexit, ne paupertate tabesceret, ac publicæ rei inserviendi occasio ei eriperetur; feminis vndique modica portione contentis, quam dotem dein stilo dixere Romano.

§. IV.

Quare commento simile videtur, renunciantes tam liberaliter de stemmate masculino magnificentius instruendo cogitasse, aut de suo in illum aliquid conferri credidisse antiquitus vnquam. Potius hoc πρώτον ψεύδος illorum est, qui tam ridiculam scenam adornarunt, ratione feminarum illustrium hæreditate se abdicantium. Saltem inde pululauit *Frommanniana* formula: occurrere hoc loco pactum renunciatum reseruatium resolutium, qui admodum sudauit, vt rem tam intricatam congruente loquendi modo exprimeret. An veritatem sit adsecutus, tum ex prioribus patescit, tum sequentibus elucebit.

§. V.

In hoc ille a Philippo Matthæo & Marpurgensibus antecessoribus recedit, fratribus eorumque posteris masculis vsufructum duntaxat tribuentibus. Putat is reuera eos hæredes fieri, & Dominos. Vnde? ex iure cesso & dominio translato. Quod indicio est, eum causam & vim renunciationum talium non intelligere, nec ordinem succedendi patrium antiquum comprehendisse perspicue. Nihil enim proprietatis transferre in alium potest, quæ proprietate omni destituebatur, ac, more pristino seruato, destituitur adhuc.

§. VI.

§. VI.

Vno vero absurdo admissio prono alueo sequebantur plura: hinc namque reliquæ adiectiones barbaræ sunt enatæ: *reseruatiao resolutiuum*. Putat enim *Frommannus* dominium non simpliciter fuisse translatum, sed ad tempus; sicubi agnationis finis, extinctis masculis, eueniat: quam ob rem sibi reseruaissent filix *regressum*, seu ius succedendi ab intestato: quæ nouo propterea vocabulo vocentur *Regredient-Erben*, posteaquam videlicet familiæ fideicommissum aut dominium hæreditatis sub conditione translatum est finitum. Cumque per contractum vel pactionem reseruatoria clausula aliquando adiiciatur, consequi, vt ius tantum nascatur in personam, eoque actio dirigenda sit in hæredes vel ab intestato, vel ex testamento, eamque præscriptis verbis appellitari posse, præcipue si per modum contractus innominati hæreditas, vel eius quædam portio transferit in fratrem. Contrarium autem fore dicendum, si clausula resolutiua fuerit addita, tum enim ius in rem & hæreditatem olim translata competere renunciantibus feminis, earumque hæredibus contra quoscunque possessores.

§. VII.

Sed dicitur forte haud temere, neutram earum sententiarum firmo tibicine niti. Non illa, quæ vsum fructum relinqui fratribus statuit. Quis enim vsum fructum relinquit in re incerta? quis non exigit de vfu fructu aliquando restituendø cautionem? quis non curat confici inuentarium? Atqui non fo-

let

let præstari cautio, non conficitur inventarium: & tamen ususfructus conceditur fratribus. Usufructuarius faciem fundi mutare nequit; fratres sororum renunciantium mutant; etiam cum domus exvntur, ac de nouo illa ædificatur, usufructum retinent: quod prorsus doctrinæ de usufructu contrarium est, adeo vt palpari manibus queat, quam inconcinna sit de usufructu fratribus, per renunciationem relicto, sententia.

§. VIII.

Nec certe altera illa, quæ hic fideicommissum fingit, melioris commatis videtur. Nam etsi non nego, inter viuos posse pacto fideicommissum extrui de futura hæreditate; non potest tamen commode concipi, quâ ratione consistere queat fideicommissum rerum incertarum. Nondum enim venit hæreditatis vel cernendæ, vel diuidendæ tempus: spirant adhuc viuuntque parentes: & cum moriuntur, non solent res fideicommissariæ tradi, nec de illis conficitur repertorium: quare merito infertur, fore eius generis fideicommissum rerum, incertarum admodum *ἀνόμαλον*, easque transire vage, ac sine vlla traditione. Adde, eos, qui pacto, vel contractu fideicommissum familiæ efficere cupiunt, id solere significare perspicue: quod hoc loco non fit; nempe vt familiæ conseruandæ causa se fideicommissum adornare indicent parentes filiaque. Vnde vsu venit, vt ad tacitum fidei commissum hic confugiant Doctores patria iura ignorantes: cum interea certum sit, feminas dote sua contentas nihil fra-

fraternæ fidei committere posse; multo minus hæreditatem paternam, vel maternam futuram, quarum illa stato iure patrio nunquam fiebant participes. Ac potuissent hic verum sine negotio dignoscere dissentientes, si perpendissent, fratrem solum hæreditatem indipisci, etsi cum sorore nunquam sit pactus, ac de fideicommissio ne cogitauerit vnquam. Quis enim audiuit, sorores, coelibes cum fratre fabricare fideicommissum familiæ? alit ille sorores: & cum forte nubunt, dote moribus recepta, illas dimittit: reseruata iisdem successione, cum masculi sunt extincti eorum propago. Quibus perpensis nihil certe de suo in manus fratrum resignant: sed ius succedendi ab antiquo filiabus, post masculos eorumque hæredes proximos deletos, competens relinquendum sibi aliquando vrgent: in ceteris vetusto iure patrio staturæ.

§. IX.

Tertia opinio, quæ est *Frommanni*, hac quidem parte sanior est, totum dominium fratribus tribuit, non vsumfructum merum, nec fideicommissum familiæ calculo is suo approbat prorsus: sed in hoc tamen, ceu monitum, similiter decipitur, quod dominium hocce a sororibus transire in fratres opinatur. Hunc enim is renunciacioni filiarum sensum inesse arbitratur §. LX. *dissertat. de existentia condit. pacti renunciat. hered. reseruatiui.* „EGO „agnationis conseruandæ causa renuncio, vel cedo „tibi huius vel illius hæreditatem seu portionem in

E

„ER

„ea meam omnibus ex te descentibus masculis eiusdem nominis, eandem in te ac ipsos transfero, (id quod hoc loco nihil aliud est, quam dare hæreditatem) eo modo ac lege, vt finita agnatione eam mihi aut hæredibus meis restituas: qua ex formula ius existimat nasci *ad rem*; cum vicissim, clausula *resolvente* adiecta, vt renunciatio censeatur pro non præstita, non solum oriatur ius in rem, verum etiam ipso iure reuiuifcat filiarum renunciantium ius hæreditarium, omnibus in pristinum statum repositis, quo res fuit ante cessionem, seu renunciationem.

§. X.

Quod quanquam peregrinum prorsus est, quandoquidem hæres semel factus hæres non manet, sed post aliquot sæcula elapsa demum ius hæreditarium ad posteros, a primis renunciantibus longissimo gradu distantes ipso iure dicitur redire; non tamen hoc terret FROMMANNVM eiusque sequaces, ad ius consuetudinarium prouocantes; quod de cetero est ius nouum a leguleiis partim ex proprio arbitrio, partim ex iure ciuili confictum.

§. XI.

Ex hoc iure nouo quæsitum est demum, an fructus intermedio tempore percepti & percipiendi, extantes & consumpti sint restituendi *hæredibus regredientibus*? Et sunt, qui putant. Reseruata nempe omnia videri, ac simul ius translatum resoluturum ipso iure; simili ratione ac fieri solet in additione-

dictionibus in diem & venditionibus conditione resolvente maritis. Nec nego, eos recte rationes subducere, quam diu credunt conditionem adiectam pertinere ad ius hæreditarium, aut dominium transferendum, ii que simul oculos auertunt ab origine & fine renunciationum inter nobiles atque illustres feminas inualescentium. Vnde audias, reprehendi ICTOS hanc questionem proponentes, non autem decidentis, sed lectorem confusorem relinquentes, quam, cum accessit, fuit. At cum indagatur, quare non ausi sint definire, quod ambiguum erat, animaduertes forte, παραδόξον penitus apparuisse, ea de re meditantibus, iactare filias, quam sint sollicitæ de splendore familiæ conciliando & insigniter augendo; quam denique liberalitati operam dederint; atque interea omnium omnia nunc repetunt, ac perceptos non solum, sed & percipiendos fructus illiberaliter anhelant, plus accepturæ, quam percepit tota fratrum progenies. Quod profecto est vehementer absurdum. Vnde alii putarunt intermedios fructus obliuioni esse mandandos: præsumique magis sapienter, cedentes feminas eos fulgori familiæ collustrando destinasse, nihil inde recepturas. At cum formula inspicitur, Sie wolten alsdann vor unverziehene Töchter gehalten werden, es solte, so viel seyn, als wann gar keine renunciation fürgegangen wäre, noui scrupuli oriuntur, cuius tenore non a momento, quo familia finem accepit, omnia aut ex

E 2

VNVC,

NVNC, resoluuntur, verum conditionis effectus ad momentum susceptæ renunciacionis retro trahitur, eoque vniuersa atque singula rescinduntur ex TVNC: quem sensum contineret conditionalis formula. Quod decisum etsi ipsimet durum existimant lubenter tamen iterum appellarent consuetudinarium, dummodo plures essent, quam duo, qui recenti murmure eius generis definitionem fuderunt.

§. XII.

Adeo vapulant, qui patria iura præteruecti ex Romanis principiis renunciacionum capita diudicant, & nubem pro Iunone arripientes nobili genere ortos variis litibus implicant, efficientes simul auctoritate sua, vt ineptissimæ conclusiones aliquando stabilitatem apud imperitiores acquirant.

§. XIII.

Quam enim inficetum videtur, nobiles masculos in quorum favorem facta renunciatio dicitur, vltimi possessoris filias ac descendentes suas in paupertate relicturos, vt in lauta parte viueret vel soror, vel sororis suboles, vtut centesimo gradu a primæ renunciantis feminae stirpe sit remota: imprimis si fingas, patrem eiusque maiores ad incitas pæne redactos fuisse. Quod dubium vssit Doctores: hinc nouum ius cerebrinum excogitarunt homines vani, existimantes, conferendam esse dotem cum vsuris, vt inde sustentetur relicta filia, nobilissimorum parentum vltimus furculus. Quæris, qua in lege hoc extet Romana, quo in statuto Teu-

Teutonico? Et audies, prudentum opiniones, vtut sapissime absonas, transire in ius: nec dubium habendum, eos in pudorem iri datum, si per commentum ponatur, hæredem, quem vocant regredientem, itidem esse inopem, vt restitui dos nequeat? Quin fac amplius, possessorem extremum facultatibus insigniter lapsum exiguas opes reliquisse, inde vt dos suppleri nequeat? Adice, hæredem *regredientem* non esse prorsus ex stemmate feminæ renunciantis coortum; ceu nuper memini euenisse, vt soror consanguinea hæreditatem peteret Octavi ex pacto renunciationis *reseruatiao resolutiao*, quæ ad stemma Octavianum plane non pertinuit, & tamen sororem Octavii virginem ab hæreditate excludere satagit.

§. XIV.

Quis vero animum inducat, & renunciantem & Parentes renunciantis, & filium renunciationem acceptantem prospexisse, personæ diuersæ stirpis, ac regredientis feminæ forori priuignæ ab intestato successionem vrgenti? Sed ita tamen pronuntiant nonnulli, pacto renunciationis *reseruatiao resolutiao* infatuati. Cuius rei illepidæ conclusiones e *ψευδεγμνησία* formulæ: *bis auff einem ledigen Anfall* potissimum profluxere.

CAP. IV.

SCHOLIA AD FORMVLAM

biß auf einen ledigen Anfall.

§. I.

INeo consentiunt ad vnum fere omnes, voculam *Donec* temporis modum denotare, vimque *reseruandi* habere. Reseruatio vero rem obiectam præponit, quæ reseruetur; perpetuumque impedimentum, ne succedat femina, quadantenus remouet. Tantum in hoc a veritate abluditur, quando plerique inducunt animum, reseruari hæreditatem amissam inque fauorem sexus masculini cessam, quæ sit sub conditione partim suspensiuâ, partim resolutiuâ in liberos masculos translata. Hæc interpretatio omnium errorum catenata ratione se subsequens genuina causa est. Nulla enim filiabus hæreditas olim debebatur; hinc nihil illæ transtulere: nec alicuius teruncii iacturam fecere. Abdicarunt illæ a se ius ciuile noue irrepens: reseruando sibi vetustum, videlicet, si masculi eorumque progenies deficeret, vt ne tum a successione excluderentur, sed patrio more ad illam ab intestato admitterentur; idque indicant verba: *biß auf einen freyen ledigen Anfall.*

§. II.

Atque ita vero *fraternam hæreditatem sibi reser-*

seruarunt sorores renunciantes, quando is forte sine liberis decesserit, aut hi sine posteris: quæ optima *Grassi recept. sent. §. successio quest. 15. n. 2.* expositio est: quam interea Doctores hae parte multo infulsiore repudiant, & ipsam portionem paternam sub conditione alienatam in renunciatione contineri autumant: obliti, filias ab hæreditate paterna lege patriæ fuisse exclusas. Cui non obest, frustraneum videri, aliquem sibi ius commune reseruare, serpere enim tum ius incipiebat peregrinum, a quo equestri generis homines abhorrebant: eoque huic nouo iuri obicem ponebant, ac vetus reseruatione solenni muniebant. Vnde falsum omnino, reseruationem sæpe memoratam nihil operari. Secundum hanc animi intentionem renuntiantium explicanda sunt verba: **biß auff einen freyen ledigen Anfall.** Hinc soror renuncians non excludit fratris demortui filias: quippe quæ, ob proximitatem, hæreditatis delationem impediunt, ne ad sororem renunciantem deueniat. *KNIPSCHILDIS de nobilitate Lib. III. cap. 12. n. 283* contra, præsumta abreptus opinione, reseruationem alioquin perperam videri susceptam: prorsus enim falsum cenleri debet, portionem hæreditariam esse sub conditione retentam, vt quæ in mentem feminae repudiantis venire propterea non potuit, quia illa certo sciuerat, in paternas maternasque facultates sibi nihil iuris competere, non e iure antiquo, non etiam e iure peregrino ac nouo, quod omnis ex-

hor

horrescebat nobilitas, splendorem pristinum seruare cupiens obnixè, sed quem minime excitabant aut promouebant sorores per renunciationis suæ formulam, sed morem solum maiorum ad sensu solenni comprobabant, ne legum exoticarum carmine oriretur forte aliquando litis materia, & familiarum splendori, more Teutonicæ gentis, semper eum ante oculos sibi constituentis, tantillum detrahatur. Idem Knipschildius cum de expositione clausulæ *bis auff einen freyen ledigen Anfall* l. c. multis disseruisset, tandem n. 312. inquit: *Nec contrariatur, quod nonnulli verba ista bis auf einen freyen ledigen Anfall ita interpretentur, quod filia renunciantium demum regressus ad bona renunciata concedatur, si frater omnino absque hæredibus tam feminis, quam masculis, atque tum etiam sine testamento decedat, atque ita verba illa non de portione paterna ista, sed tota hæreditate fraterna intelligenda sint.* Quid respondeat Knipschildius expectabis forsitan. Sed mutus hic est, & falsam hanc esse interpretationem ex supra dictis contendit.

§. III.

Nobis vero expositio ista verisimillima videtur. Quis enim credat, fratrem eo sensu accepisse renunciationem sororis, vt propria excludatur filia, prælata sorore, hæcque in lauta parte constituere- tur, illa in macilenta? præcipue cum facile euenire queat, vt frater matura morte abripiatur. **Quin cogites, quæso, feminas omni Germanorum iure**
ab

ab hæreditate parentum mansisse extorres, vbi adefset masculus. Mirum est, Doctores, qui de renunciatione filiarum nobilium scripsere, ad hoc ius vetus vel non respexisse, vel illud prorsus ignorasse. Quare e contrario minime nunc mirum apparet, eos tam inepte explicasse verba: **biß auf einen frenen ledigen Unfall.** Vix enim fidiculis elici inde potest hic sensus: donec masculi supersint ex fratre. Requiritur enim hæreditatis delatio, quam nulla impediatur persona defuncto proximior: sed filia est sane sorori omni iure præferenda ac multo magis remotioribus.

§. IV.

Accedit, nobiles ac primarios homines multo deterioris conditionis futuros, quam inferioris subfellii, qui libere condunt testamentum, & alienant & oppignorant tam res mobiles, quam immobiles, quod denegatur fratribus eorumque descendens, quorum in emolumentum ac fauorem tamen eiusmodi renunciations interuenisse creduntur. Etsi enim sunt, qui testandi licentiam iis permittunt, quorum in numero præstantissimi Iuris consulti comparent, Schurffius puta, B. Chafsanæus, Zafius, Cothmannus, Kellenbenz; non potest tamen hæc consistere sententia cum usufructu, cum rebus fideicommissis subiectis, cum pacto renunciatio, reseruatuo, resolutuo. Idque facit, ne piæ causæ ratione, ne alimentorum gratia liceat morientibus disponere; quia alioquin de rebus alienis aliquando restituendis, per vltimam

voluntatem disponderent. Hinc rigidi huius opinionis defensores sufficientem cautionem a sororibus exigi posse statuunt: quanquam ordinarie non solet exigi, claro argumento; aliter cogitasse renunciantes olim, aliter Doctores principia Romani iuris suis commentis applicantes. Vnde est, quod Kellenbenzius existimat, quodocunque exigi eam licere, quamvis tempore nuptiarum non fuerit petita. Quod sane discordiis ac litibus fenestram aperit, ac nobiles imperii liberos seruituti vix ferendæ subiicit.

§. V.

A qua vt sese quantocius liberet, providendum omnino foret: idque facile effici posset, si renunciaciones plane tollerentur, & filiæ quoque non renunciantes haberentur pro renunciatis *vor verzigende Töchter*: quod in pago Craiachouienſi vsu obtinere in vulgus notum est. Ceteri nobilitatis liberæ pagi salutari quidem consilio a. 1653. statutum eum in finem condidere, quod apud *Schilterum* de *renunciacionibus* in *addit.* p. 20. extat typis impressum; sed nescio, quo fato confirmatio non sit infecuta. Id interea certum, eo in statuto respici cum primis ad splendorem familiarum illustrium, quem ab antiquo maiores ante oculos sibi constituissent; quemve occasione iuris peregrini valde imminutum iri prospiciebant, si filiæ sexui masculino ratione successione exæquarentur. Quod ne fieret, renunciacionibus locum esse datum, quæ hanc cladem a nobilis prosapiæ viris auerterent. Simili providentia

Boica

Boica nobilitas sibi consuluit, ita, vt filia non renunciantes pro renunciatis habeantur, ceu Schmidius Ictus Boius in Commentariis ad ius Bauricum diferte adnotat: sed ab hæreditate fratrum parentumque, omiſſa renunciatione non impediēte, excludantur. Optimum vero conſilium foret, vt vetus illa lex Germaniæ in integrum reſtitueretur: filia masculis ſuperſtitibus nullam hæreditatis portionem accipiat, iis deficientibus ſuccedant ſecundum legem inteſtati, hac tamen cum cautione, ne masculi extremi filia renunciantibus olim earumque hæredibus poſt ponatur, cum hæc filia vltimo defuncto ſit proximior, quam remotiſſimis gradibus renunciantes, ſeu ſunt amita, proamita, matertera, promatertera ceteraque perſonæ ab vltimo defuncto, de cuius ſucceſſione quæritur, admodum alienæ. Si qui tamen ſint, qui cauſidicorum catenis imprudenter ſeſe conſtringi patiantur, & renunciationis formulam ita adornent, vt masculis extinctis illico renunciantis redeant ad ſucceſſionem, licet masculus reliquerit filiam, tum enim ſibi tribuant fratres ſuæque culpæ & imprudentiæ omnibus facultatibus poſſeſſionibus propriam progeniem infeliciter ſpoliantes, Pacta enim ſunt ſeruanda: clauſula adjecta tam ſtulta ſit, tam iniqua, quam poteſt, vnde cautius mercentur, qui ſororum renunciations exigunt & ſuſcipiunt, ac ſapientiores in conſilium adhibeant, non autem imperitos antiquarum & patriarum rerum rabulas.

F I N I S.

CONSULTISSIMO
DN. CANDIDATO
S. P. D.
IVSTVS HENNINGIVS
BÖHMER ICT.

Adhuc immotus permaneo in pristina sententia, illos demum iurisprudentie in Germania recte consulere, qui peregrina iuris principia ab institutis iuris Germanici, usu diuturno continuatis & ad nos propagatis, remouent, atque hec ex fundamentis iuri Germanico propriis explicant, illustrant, deducunt. Palam est atque exploratum, ius Romanum, quod respectu Germaniae peregrinum audit, in subsidium demum assumptum, in multis alienissimas plane a iure Germanico fouere rationes, ex quibus qui huius scita declarare atque exponere nituntur, dicere monstra mihi videntur. Verum quia nihil tam praepostere, tam incondite tam monstrose cogitari potest, quod non possint praecindicio occaecati somnare, haud adeo insuetum nobis videri debet, si passim hanc permixtionem diuersorum iurium offendimus. Hec inde potissimum originem traxit, quod olim in Academiis tantum iura peregrina tradita, domestica vero neglecta, ad quae si rudis atque haud praeparatus animus postea in casibus emergentibus accessit, propriis relictis rationibus, utpote haud peritiis, unice iuris Romani scitis intentus fuit, atque ita res pla-

ne discrepantes connectere studuit. Illustri quodam ar-
gumento veritatem huius asserti demonstrare constituisti,
clarissime Candidate, atque dissertatione hac inaugurali
ostendisti, a tramite veri aberrare quam longissime, qui
in renunciationibus filiarum illustrium, etiam sub clau-
sula reservatiua consueto more factis, fideicommissum
quoddam tacitum ex iure Romano fingunt, & inconditas
inde deducunt conclusiones. Latere te non potuit, ordi-
nem equestrem in tractu Franconico Suevico & Rhenano,
qui iura antiqua Germaniae, filias durante stirpe mascu-
la ab omni successione excludentia, sedulo conseruavit, an-
no 1653. d. 12. Febr. perpetuo inito foedere constituisse, ut
filiae ad nubilem devenientes aetatem renunciare successio-
ni futurae cogantur sub clausula: *biß auf einen ledi-
gen Unfall*, quod statutum equestre non tantum HAR-
PRECHT de success. filiar. nobil. renunc. ex testam
in subiecto responso i. sed etiam LVNICH in Teutschen
Reichs-Archiv Part. special. contin. III. p. 14. n. 7. re-
petierunt. Quamvis vero in illo equestri placito nihil
prorsus insoliti deprehendatur, sed maioris securitatis
gratia filiae illustres id tantum, quod iuri antiquo Ger-
manico congruit, pacto renunciatio agnoscere atque cor-
roborare teneantur, constat tamen ex adducto responso Har-
prechtiano, reliquisque huic subiectis, quantos fluctus le-
guleii contra hoc excitaverint moverintque. Qui facile
sedari potuissent, si modo principia rectiora, quibus Tu
in praesenti specimine usus es, ad discussionem eorum ele-
cta, & peregrina reiecta fuissent. Optime ergo rebus
tuis consuluisti, quod in hac Academia, quae iura do-
mestica a peregrinis sedulo distinguit, eam rationem
studiorum tuorum iniueris, quae solidissima & unica ad
dispellendos scopulos via merito haberi debet. Haec enim

*laus Tibi omnino debetur, Te non superficialiter sed omnino
adhibita diligentia iurisprudentiae studio operam dedisse,
ut illustris Ictorum ordo Te ad summos in iure honores
admittere haud dubitauerit. Meum est, Tibi eo nomine
gratulari; tuum vera, res Tuas ita porro agere, ut &
ecclesiae & patriae cum fructu inseruire queas. Dab.
Halae d. 25. Nouembr. 1729.*

NOBILISSIMO
DN. CANDIDATO
AMICO SVO VETERANO
S. P. D.
GEORGIVS BERNARDVS
DOLP,
NORDLINGENSIS.

Habent inter alia praefeminis eximium masculi, ut per eosdem propagetur nomen familiae, conseruetur splendor eiusdem, augeatur & n igni fiat, inprimis si filii parentum maiorumque suorum virtutes imitantur strenue. Filiae quidem quamdiu in paterna versantur domo, nomen eiusdem gerunt, sed dum nubunt, inque aliam transeunt familiam, a marito nomen dignitatem iuraque sortiuntur. Inde fieri credo, quod patrum praecipua cura haec sit, ne ex male educatis filiis sibi familiaeque dedecus asseratur, quam.

quamuis nec filias negligant. Exemplis si non tantum illustratur veritas, sed & quadantenus probatur, quam plurima in promptu sunt, quae tamen in praesenti descriptione enarrare animus non est. Sufficiat adduxisse unicum, quod ad rem quam maxime facit. Tua gens, Nobilissime Candidate, Amice suauissime, per multos annos habuit Viros ingenio iudicioque claros, quibus iure meritoque inter eruditos locus relinquitur. Deprehendo namque illorum nonnullos Theologos, nonnullos Ictos, nonnullos Medicos insignes, singulari eruditione conspicuos, quorum cuique laus & gloria debetur sua. Nouissimus eorum est Consultissimus Parens Tuus pie iam ante tria lustra defunctus, Iureconsultus, uti quaedam eius scripta testantur, in theoria & praxi versatissimus. Hic maioribus suis non solum virtute par, sed si verum fatear, profecto superior fuit, quod omnes quibus innotuit, ut de Sueuiae ubi vixit testimonio fiteam, uno ore affirmant, insignem fuisse Eius fidem, dexteritatem, scientiam, industriam, promititudinemque Patriae proximique commoda promouenti. Tantum huncce Virum, Tu nobilissime Donauere, habuisti patrem, huius Tu mores quantum fieri potuit, sectatus es semper, hodieque dum cathedram conscendisti, talem Te praebuisti, quem omnes auditores mirati sunt. Absoluisti quinquenium Iuris prudentiae addiscendae destinatum, in Euerardina & Fridericiana ita litteris operam dando, ut dignus fueris visus, cui summi in iure honores Licentiati conferantur. Non possum ergo non quin Tibi de edito eruditionis specimine, deque gradu, quo iam ornatus es, gratuler, utque Tibi sempiterna sit laudi iste honos exoptem. Est ille primum laborum Tuorum praemium, quibus ut complementum addere possis, omnibusque numeris absolueris, annos Tibi, vitam, valetudinem, patronos, fortunamque precor, eo animo, quo mihi ipsi fausta quaeuis cupio. Vale. Dab. in Fridericiana e Museo, Frid. Cal. Decembr. MDCCXXIX.

FRA-

FRATRI GERMANO

S. P. D.

BERNARDVS JACOBVS
DONAVER!

Thema aggredieris sat graue, FRATRV
OPTVME! quod mascule in publico de-
fendendo industria TVÆ specimen exhi-
bes insigne, cum Patria Jura a Romanis in
Illustri Fridericiana nostra discernere ita
TE didicisse testatur is, ut quæ olim hac parte ab aliis
Doctoribus cetera doctissimis, ast iurium patriæ ignaris, con-
fusa & commixta invicem comparuere, jam plana, & a
dubiis, quæ hæcenus Doctorum Aures mentesque vellica-
runt, vacua legi queant. Arimitus itaque TIBI de hoc
specimine gratulor, atque ut præmia Tua industria digna
maneant, MATRIQVE suavissima sis solatio ex inti-
mis apprecor. Vale. Dabam Halæ e Mus. Prid,
Cal. Dec. MDCCXXIX.







§

154045


AB 154045

X2407318

X2 768 ra







Farbkarte #13

B.I.G.


PRAGMATICORVM
DE
INCIATIO
EDITATVM FI-
ILLVSTRIVM

RAESIDE
D HIERONYMO
LINGIO ICT,

O LICENTIA
E JURE HONORES CAPESSENDI
Novembris

SPVTABIT
H. L. Q. C.
S DANIEL Donauer
ORDLINGENSIS,

STANNO HILLIGERIANO.
MDCCXXIX.



No 2042 *

